Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 891

Quelle:
Copyright:

Initium brevis Prooemii: *Omnipotentis Dei magnificentia ſua uult pietate ſolita* &c. Ipſius Hiſtoriae: *Anno igitur incarnationis xpyCti ſeptingenteſimo octuageſimo. imperii uero Karoli magni ſeptimo* &c. Meminit *Petrus de Natalibus* in *Cat. SS.* L. V. c. 33. *Theopompi* et *Seneſii Nicomediae* paſſorum. *Bollandus* eos ex *Martyrologio Rom.* profert ad diem 3. *Jan.* ſub nomine *Theopempti* et *Theonae* dicti etiam *Syneſii*. Succeſſores ejus T. V. *Maji* p. 2. in *praetermiſſis ad diem 21. Maji* dicunt, ſe Acta eorum graeca, prolixiora, quam latina nactos eſſe, ſimulque translationem Reliquiarum *Nonantulam* factam, atque ea omnia ſervaturos *Supplementis* Menſis *Januarii* olim edendis. Interea vero *Ferd. Ughellus* Narrationem hanc *Italiae* ſuae *Sacrae* inſeruit, ubi legitur *edit. novae* T. V. *col.* 491. ex Codice *Nonantulenſi* vetuſto, ut ait, quo tamen noſter prolixior eſt; cum enim ille in haec deſinat verba: *ipſorum precibus usque hodie ſanantur*, noſter plus 56. lineis excedit, narratque peſtem ſaeviſſimam tempore *Rodolfi* II. Abbatis, qui obiit 1037. circumgeſtatione ſacrorum Corporum a populo *Nonantulenſi* abactam, *verſus* item eorum ſarcophago inſcriptos eſſe, quos recitat hoc initio et fine:

Hic recubat ſanctus Seneſius intus in arca.
Theopontius extans almus in ipſa.
Quos ſudore ſuo uexit Rodolfus adelphus.
Qui tunc teruiſio degebat paupere cella.
Petrus ſacra ſacer condens poſuitque locello &c.
Viuere Rolandi per uos ſit in ethere beati

Rodolfi primitus pro *Rolandi* ſcriptum putem; vox enim reſcripta eſt. Alia de his Martyribus *Cosmae Materienſis* Carmina habes *Ughellii* T. II. in Epp. *Mutinenſibus col.* 111. Initium narrationis totius decerpſit etiam *Mabillonius Actor. O. S. B. Sec.* I. p. 13.

CCLVI. VI. H. 26.

664 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 256. 4. eleganter ſcriptus, eximiaeque notae continet: I. ſine inſcriptione Opuſculum exhortatorium ad Virginem quandam de officiis Caſtimoniae, quod incipit: *Quantam in celeſtibus beatitudinem uirginitas ſancta poſſideat preter ſcripturarum teſtimonia eccleſię etiam conſuetudine edocemur* &c. *Hieronymo* olim adtributum interque *Subpoſititia* translatum legitur edit. *Vallarſ.* T. XI. p. 127. titulo *Laus Virginitatis*, atque in *Admonitione* praevia recte arguitur non diu poſt annum 404. conſcriptum fuiſſe, eo, quod adludat ad *Innocentii* I. Pont. Epiſtolam ad *Victricium Rothomag.* hujus anni, quam